

ba, moventisque ac dirigentis mentem & manum scriptoris ad omnia illa, eo modo scribenda, quæ & quo modo scribi voluit. Ut enim aliqua scriptura non quomodocumque sit ejus, qui per se immediatè non scribit: sed propriè sit ipsius verbum tanquam dicentis & scribentis, ejusmodi motio est necessaria. Prob. Antec. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* 2. Petri 1. Et Psalm. 44. psalmes Regius dicit, *Lingua mea calamus scriba velociter scribentis*; per hoc significans Spiritum sanctum esse primarium scripturæ sacræ autorem, qui lingua Prophetarum, ipsisque Prophetis ac reliquis sacris scriptoribus utitur tanquam suis calamis.

Hinc Theodoretus præfat. in Psalmos: *Quid refert si hoc hujus omnes, siue illorum aliqui sint, cum confiteri divini spiritus afflatu universos esse conscriptos!* Et mox, *Vaticinantis est linguam præbere ministram gratiæ sancti Spiritus, ut legitur in psalmis, lingua mea calamus scriba velociter scribentis*, Psalm. 44.

Similiter B. Gregorius de autore libri Job differens præfat. cap. 1. *Quis hæc scripserit valde super vacuè queritur, cum tamen autor libri Spiritus sanctus fideliter credatur, ipse igitur hæc scripsit qui hæc scribenda dictavit, ipse scripsit, qui & illius operis inspirator existit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.* Deinde rem ista similitudine declarat. *Si magni cujusdam viri susceptis exemplis legeremus verba, eaque quo calamo fuerint scripta quereremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, ejus rei Spiritum sanctum autorem tenemus; quia scriptorem quarimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo persecutamur.*

Chrysothomus hom. 3. in Genes. ita Moysen introducit loquentem: *Quia hæc cum non essent, fecit ut essent, hoc est linguam meam ad ista scribenda impulit.* Tum addit: *igitur obsecro ut auscultemus, ut nostris rationibus longum valere dicamus, quasi hæc non jam à Moysè, sed per linguam Moysi ab ipsa omnium Deo audiamus. Sed & generaliter de scripturis sacris dicit hom. 49. In Joannem. Nihil divinis in scripturis temere positum est, quippe quæ à Spiritu sancto prolata sunt.*

Et Iren. lib. 2. adversùs hæres. cap. 47. *Scriptura perfecta sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.*

Aug. lib. 11. de civ. cap. 3. ait Deum scripturam condidisse l. 18. cap. 41. sacris scriptoribus vel per eos, Deum locutum: in Psalm. 56. eum Davidi per quem loquebatur dictasse veritatem, quam loquebatur, unde & l. 7. confess. cap. ult. scripturam sacram vocat venerabilem stilum Spiritus sancti.

Atqui neque calamus scribere potest, nisi moveatur ac dirigatur à scribente; neque id quod dicitur, quomodocumque inspiratur, sed verbum excipiendum suggeritur: ergo ad scripturam sacram scripto mandandam intervenit motio ac directio Spiritus sancti, ac insuper singularum verborum, imò & syllabarum suggestio seu dictatio.

Ex his intelligi potest quod ut liber aliquis sit scriptura sacra, nequaquam sufficiat Spiritum sanctum, postquam is humanà industrià scrip-

Sylvij Controversia.

A tus fuerit, attestari ibi nihil esse falsum, partim quia scriptura sacra est verbum Dei, seu à Deo dictum & inspiratum, ex hoc autem quòd Spiritus sanctus testetur librum quempiam nihil falsi continere, non propterea sit quod liber ille fuerit dictus & inspiratus à Deo: partim, quia aliquin liber aliquis profanus, ut Livij vel Cæsupiam alterius historia, per humanam industriam sine peculiari Spiritus sancti inspiratione conscripta, posset fieri sacra scriptura, si Spiritus sanctus testaretur nihil in ea esse falsi, cum tamen ne quidem decreta Pontificum & Conciliorum œcumenicorum scripto mandata sint sacre scripturæ; quamvis & per assistentiam Spiritus sancti condita sint, & idem Spiritus per Ecclesiam attestetur ibi nihil esse falsum.

Si contrà dicas diploma quod Regis Secretarius proprio ingenio confecit & confectum rex approbat suoque sigillo munit, tam esse verbum regis parisque autoritatis cum eo quod ipse Rex scribit vel concepit ac verbatim dicit: *RES P. id esse negandum.* Tale quidem diploma est verbum regis, hoc est, regis voluntate scriptum ejusque autoritate munitum, sed non est verbum à rege dictum vel dictatum, neque est ipsius Regis scriptura: quis autem nesciat longè plus ponderis & autoritatis habiturum librum aliquem à sapiente quodam rege compositum, & vel ab eo scriptum vel dictatum, quam si solum testaretur ibi nihil esse falsi? quemadmodum & consultatio quæpiam ab aliquo Dòctore famoso concepta & scripta, majoris apud omnes erit autoritatis, quam si ab alio quovis composita esset, eique tantum subscriberet, ac testaretur nihil habere falsitatis; ita profectò non erit par autoritas atque majestas libri cui veracitatis solum ferat testimonium Spiritus sanctus; ac ejus cujus ipse est inspirator, dictator & autor primarius: Alioquin quo modo non & Conciliorum Generalium par erit cum Scriptura sacra Autoritas?

B. quidem Gregorius primas quatuor generales Synodos sicut quatuor Evangelia se suscipere fatetur: At hoc non dicit, quia sunt equalis autoritatis, dignitatis, & excellentiæ; sed quia definitiones illorum conciliorum sunt equalis veritatis, scilicet infallibilis, ut in tract. de Concilij videbitur. Aliud ergo est, librum aliquem esse scripturam sacram; & aliud, habere testimonium suæ veracitatis.

ARTICULUS III.

*Virum omnia quæ in sacris litteris continentur, ex Spiritu sancti inspiratione scripta fuerint.*

V IDETUR quòd non. PRIMò, quoniam multa eorum quæ in litteris sacris continentur, ab ipsis scriptoribus visa vel audita fuerunt, juxtà illud Joannis 19. *Qui vidit, testimonium perhibuit.* Et 1. Joannis 1. *Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis.*

Lucas quoque initio sui Evangelij præfatur se scribere sicut ei tradiderunt, qui ab initio viderunt, de quo & Hieronymus in catalogo ait, *Evangelium sicut audiverat scripti; Acta vero Apostolorum sicut viderat composuit.*

Qui & de Marco ita loquitur, juxtà quod Petrum referentem audiverat, rogatus Roma a fratribus breve scripti Evangelium, quod cum Petrus au-